DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS I. DECEMBRIS.

M. PETRO DE MERCENNE, Doctore Medico, Moderatore.

An Hippocratis medendi Methodus poſterorum inuentis mutari poteſt? 1122

ARTEM Medicam hominibus ſalutarem eſſe certò demonſtrat vſus, ſummaque vtilitas propter quam apud omnes gentes digna fuit quæ Deo adſcriberetur & conſecraretur. Ab illa morti innectere moras & fata quodammodo
regere Medici didicêre. Naturâ ad optima viam monſtrante, ex ſalubrium atque his contrariorum ſæpe repetita obſeruatione initia duxit: dein nouis ſubinde ſingularum ætatum experimentis pariter increuit, quibus etiam hoc
ſæculo fœliciter locupletata cernitur: ſacra iſtâ rerum parente nullatenus effœtâ, ſed manente adhuc, quæ omni æuo durabit, eâdem inueniendi causâ, ſcilicet ingeniorum ſolertiâ, varijs & innumeris experiundi caſibus in dies
oculatiore; nec longinquitate poſtremi temporis cujus filia veritas, deteriore. Naturæ enim, ſemper antiquæ ſemper nouæ, immenſus & inexhauſtus eſt fundus; & mundus ſenij expers perpetuò renouatur & quaſi repubeſcit. Cum
experientia tamen, jugi exercitatione atque vſu diuturno, jam olim à primis ſapientiæ profeſſoribus adjuncta eſt methodus; quæ rem alioqui diſſolutam diuulſamque conglutinaret & præceptis ac decretis conſtringeret. Illâ ſi ca-
reat Medicina, ſine rectore fluitet neceſſe eſt, & velut in denſiſſima nocte latens, caſum potius & fortunam quam conſilium ſequatur. Ipſa rerum natura ordine ſtat, quo confuſo peritura ſunt omnia: vnde diuinâ mente archite-
ctatrice vtens, mundi vniuerſitatem ac res ſingulas ſapienter adminiſtrat ac tutatur, certis quibuſdam rationibus, quæ ſunt fatales naturæ leges, inſtitutaque tam conſtantia, vt nec ab ijs deflectere ipſa vnquam queat: nec meden-
di methodus quæ his legibus innititur, vllis poſterorum inuentis violari ac immutari poſſit.

VT morbi certis ex cauſis mutuò ſibi connexis in humano corpore naſcuntur, ita certis quoque modis ab eodem expelli debent; quos aptè diſponit ac dirigit medendi methodus, ſeu artificioſa quædam notitia, vniuerſali, & in parti-
cularibus quibuſcumque morbis ſimili, viæ inſiſtens; quæ in omni curatione peritum artificem ab vno principio ad propoſitum finem rectâ ſerie atque ordine ducit. Hinc etiamſi in ſingulis morbis priuata videatur medicandi ratio,
hujus tamen commune genus eſt: vt meritò conſtituatur morborum idea vna, locus verò diuerſus. Vera hæc & legitima methodus, quâuis arcanâ ac pretioſâ compoſitione potior, eruditos ab indoctis, medicos ab empiricis & pa-
racelſicis diſtinguit: ratione & experientia veluti gemino crure fulcitur; ac cognitâ priùs, tum corporis humani probâ conſtitutione, tum morborum naturâ; inuentiſque per analyſim eorum cauſis; parte affectâ, ſignis, quæ ſunt
veluti morborum voces, exploratâ; reliquiſque indicationum ſcopis accuratè perſpectis; vt valentis conſuetudine, ætate, regione, anni tempeſtate; ſalutaria quæque medicamenta & auxilia, quorum vires, ſpeciem, quantitatem
vtendi rationem & occaſionem, totius curationis animam, penitus nouit; ad quoſuis præter naturam affectus profligandos præſcribere atque adhibere docet. Tam multis à prima antiquitate continetur ac comprehenditur ars me-
dica, quam injuriâ interpollem eſſe dixeris, cum conſtantior ſit nulla, nec fructuoſior. Hæc æternam & ſtabilem naturæ legem ſemper intuens, in eamque defixa, ad illius imitationem omnia inquirit & parat, vt in homine perpetuò
tueatur quod à natura datum ſit, quod deſit acquirat. Hinc Medicinæ leges (ſine quibus non viuunt barbaræ atque imperitæ gentes, quæ ſine Medicis degunt; vt illas etiam in brutorum animantium cura ars veterinaria ſequitur)
nulla vis humana, nulla regionum, locorumue, aut temporum mutatio euertere poteſt; quarum quidem authoritate imperatoribus ſummiſque regibus ſalutaris profeſſio imperat, aut ſaltem non impunè refragantur.

HIPPOCRATES arte & facundiâ clarus, ſed ſapientiæ laude ac mirabili poſteros juuandi ſtudio illuſtrior, ſingulari Dei prouidentiâ & beneficio (qui magiſter ex occulto producit ingenia) ad Medicinæ ſcientiam condendam
inſtituendamque, ac ſæculorum omnium poſteritati, vel potiùs humano generi tradendam, maximè natus videtur. Is tamen ideo Medicinæ parens, quòd primus methodi author fuit, certamque in re opinabili ac conjecturæ ob-
noxiâ, curandi rationem nobis reliquit, hauſtam ex puriſſimis naturæ fontibus, ejuſque legibus omnino conſentaneam. Hanc ducem optimam & magiſtram cum ſequitur, eique paret, Deum ſequitur; (natura enim Dei voluntas
eſt) propereaque aberrare non poteſt. Nec modò naturæ miniſter & cuſtos audire cupit, ſed etiam illam primam opificem, quæ conuenienter omnia facit, ſolamque morborum medicatricem, ſapientem, eruditam nullo docente, juſtam,
artificioſam, prouidam & vtilitatum omnium conſultricem agnoſcit: quâ repugnante irrita omnia fiunt, quamdiu nimirum ſponte agit ac definitos ipſius motus nulla res noxia præter ſtatum ordinem irritat aut impedit. Hinc
bonam valetudinem ſeruat ſimilibus, aduerſam contrariis expugnat; laborem quiete, famem cibo, ſitim potu, etiam frigidæ in æſtu febrili, ſomnum vigiliis, calorem (omnium ferè morborum cauſam) frigore, ſiccitatem humo-
re, repletionem vacuatione & inanitionem plenitudine, viciſſim alternatimque depellit. Nec confertim ac repente implet vacuatue, vel calefacit aut refrigerat, vel vtcunque aliter corpus mouet: omne ſiquidem nimium naturæ
inimicum, quod paulatim fit tutum. Eamobrem mitiorum & facilè parabilium medicamentorum vſus potior, familiariorque ac frequentior eſſe debet, quæ pleraque corporis vitia epicraſi quotidie molliunt & ſecuriſſimè ſanant,
vt ea validioribus magis exaſperantur: nihilominus ille vehementiora, atque extrema extremis, non tamen deſperatis, etiam adhibet, cum imbecillior eſt medicina quam morbus, blandaque fruſtra ceſſerunt. Nec
cunctatur, cum grauiter vrget vis mali ac præſens in mora periculum eſt. Quin etiam vt inter innumera alimentorum genera paucis aſſueſcere ac melioribus ſelectiſque innutriri præſtat; ſic remediorum paucitatem laudat ipſe
πολυφάρμακος, artis paupertati non ſtudens, nec fauens ἀφαρμάκοις; ſed vt ſummâ vbertate, in qua facile ineſt luxuries, & inutili farragine non obruantur ægri: non vero vt abſciſſis veluti manibus Medicina mutila fiat & manca,
& cæteris omnibus damnatis abrogatiſque, perexiguo aliquot medicamentorum numero circunſcribatur. Materia quippe medica non minus latè patet quam ipſa natura, quæ omnia ſanando homini genuit: elementa, mineralia, me-
talla, plantas, & animalia, imò venena ipſa, quæ in ſalutis vſum antiqui vertere, apertâ profeſſione mala quidem nulla eſſe ſine aliquo bono. Sic elleborum, ignotâ poſteris arte, ita emendatum habuit Hippocrates, vt in omnibus
ferè morbis, etiam in aſſiduis febribus, tutò exhibuerit. Sic opium & Hydrargyrum nunc in vulgaribus ſunt remediis; adeo nullo experiundi fine, vt cogantur etiam lethifera prodeſſe.

PLVRIMORVM remediorum vſum natura ipſa Hippocratem docuit, tum brutorum exemplo, quæ ſponte herbarum quarumdam medelas aliaque auxilia inueniunt; tum criticis in homine uacuationibus, quæ alui fluore,
vomitu, ſudore, vrinæ profluuio, & ſanguinis fluxu è naribus, vtero, ſede, grauiſſimos morbos fœliciter ſoluunt. Diſcant inde Hœmophobi, communem hominum & rerum omnium matrem à ſanguinis miſſione non abhorrere;
cujus præceptrix eſſe voluit, vt eâ, veluti detracto onere, mirum in modum leuatur. Inde ſummi Medicorum principis creuit amor erga præſidium omnium maximum & præſtantiſſimum. Criticos dies diligenter obſeruat, ſed hu-
moris morbifici motum potiùs quam cœli conuerſiones & σχηματισμοὺς, atque ægri naturam magis quam lunam obſeruat; nec præ ſuperſtitioſa numerorum religione, illis diebus feriatur, cum hoſtis jugulum petit, ac irritata vel
impedita natura, venæ ſectione aut catharſi juuari poſtulat. Morem fugite barbarum, qui vanâ coctionis expectatione, in morborum initiis phlebotomiam omittit, differtque perperam poſt plures dies: contra diuinus Senex prin-
cipiis obſtat, in ijſque ſtatim ſanguinem detrahit pro virium & ægritudinis magnitudine, partitis vicibus, è directo partis affectæ; atque in febribus aſſiduis liberaliùs, in quibus vbi multùm corrupti ſanguinis emiſit, modicùm
innoxij alimenti ſuggerit. Proximum vas ſecat, proximum ventrem purgat, deriuationis gratiâ; remotiores venas ferit, cum reuulſioni ſtudet. Ab eodem naturæ exemplari purgandi leges depromit; qualia enim dum ſponte pro-
deunt, cum εὐφορίᾳ & ſolatio corpus exonerant, talia medicamentis purgantibus educere conuenit, vt quæ contrario modo effluunt, cohibere. Natura purgandi corporis vias ſponte adinuenit: Hippocrates quò & quà ducit illa,
preſſis veſtigiis nititur; & in febribus ventrem inferiorem ſubducit, vbi remiſſio ſymptomatum ac calor mitiſſimus apparet, atque etiam declinante acceſſione: vomitum verò ciet in ipſis acceſſionibus, incipientibus videlicet,
cum bilis per ſe in ſublime effertur & viam ad os affectat. Nullam in morborum principiis natura criſim molitur, nec vomitum, aut alui profluuium ſalubriter mouet, niſi mitificato priùs & excretioni maturo vitioſo humore,
redditâque aliquatenus meatibus libertate: Hippocrates poſtquam fluidum corpus effecit, concocta ſolùm purgari jubet, minimè verò cruda, neque per initia, niſi materia turgeat, proprioque impetu ad excretionem feratur:
velut cum putrentis ac maligni ichoris è ventre in cerebrum tranſfluxus motus σπασμότρομος, veternum, aut apoplexiam inuehit. Natura aquosâ illuuie ſeſe expedit, craſſiore jam vacuatâ: noxios humores variè, ſed ſtato quodam
ordine, alterat, attenuat, incidit, cogit, denſat, & generalia particularibus præmittit. Sic Hippocrates. Illa in omnibus morbis coquendo cibo imperfectiùs vacat. Hic eumdem ſubtrahit minuitque, præſertim in exacerbatio-
nibus; cumque impura corpora eò magis lædit, quò copioſior ingeritur.

PRISCORVM in inueniendo fœlicitas & cura, in tradendo benignitas, poſteris imitandi gloriam non eripuit. Omni copiæ ſua ſubeſt inopia; multùm egerunt ſed non peregerunt; plurimaque illis incognita nobis primùm
oſtendit vſus, efficaciſſimus rerum magiſter. Natura, vt Eleuſis, ſacra ſua non ſimul tradit; neque ſemel omnibus patent ejus arcana; aliud hæc ætas, aliud quæ nos ſubibit aſpiciet. Semper tamen annorum victrix florebit, &
cum ipſa rerum natura ſolùm definet Hippocratis methodus, cui poſt viginti ſæcula nihil detrimenti attulit temporis edacitas. Ille naturæ numine ſemper tutus, nouis quidem opibus augeri, priſtinis ſpoliari non poteſt.
Solâ quidem ptiſanâ infirmas, etiam acutâ febre laborantium, vires ſuſtinuit; nos veteres hordei aut tritici ſorbitiones ac potus, cum carnium pulli, gallinæ ac vituli juſculis decoctiſque, molliori naturæ noſtræ aptioribus,
commutauimus. Durat tamen antiqua humidæ, tenuis, ſorbilis & ἀφλεγμάντε diætæ lex. Cneorum, granum cnidium, Hippophaes ſuccum, aliaque plurima Hippocratis purgantia hodie non vſurpamus; at eâdem methodo,
ijſdem cautionibus & indicationibus ducti, ſennam, caſſiam, rheum, manna, ſyrupos roſarum pallidarum & florum mali perſicæ, ac cætera quæ Hippocrate poſterior ætas inuenit blandiora cathartica, ægris frequentiſſimè pro-
pinamus, nullo majore vitæ commodo. Elleborum quondam terribile, poſteaque promiſcuum, nunc exoleuit; verùm fixæ & immutabiles manent ciendi vomitus regulæ, nec caruit hactenus, nec vnquam carere poterit Hippo-
cratis medicina, eâ vacuationis vniuerſalis ſpecie, quæ ope τῆς μοχλείας, non modò è ventriculo, ſed etiam è viſceribus atque ex vniuerſo corpore, noxios humores per os ſedemque eliminat. Sic ex ſummi dictatoris placitis, ſi non ad ejus
mentem, grauidis mulieribus ac lactantibus pueris, ſanguinem detrahimus, quin etiam in cholera morbo; tam audaci inuento, quam felici ſucceſſu. Hinc cum ratione pertimeſcendum non eſt, ne perennis ſanguinis circuitus, ac chyli
per venas lacteas thoracicas juxta cor aſcendentis recens obſeruatio, quæ ad naturæ contemplationem ſolummodò pertinet, aliquid in morborum curatione perturbet. Scriptæ ab Hippocrate, veluti ſolis radio, medendi leges à
manifeſtiſſimis omnium ætatum ac gentium experimentis pendent, quæ nulla recentiorum inuenta conuellere ac labefactare poſſunt: vt illa viciſſim certiſſimam poſtremorum euidentiam atque αὐτοψίαν non deſtruunt. Noua
non ſunt in hominis cæterorumque animantium fabrica, quæ ſimul cum mundo incœpere; nec rejicienda venit doctrinæ nouitas, quæ antiquam methodum clariùs explicat & illuſtrat. Lux luci, veritas veritati inimica non eſt.

Ergo Hippocratis medendi Methodus poſterorum inuentis mutari non poteſt.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Michael Denyau.
M. Claudius de Frades.
M. Ægidius le Bel.

M. Abrahamus Theuart.
M. Nicolaus Lienard.
M. Philippus Douté.

M. Sebaſtianus Rainſſant.
M. Nicolaus Brayer.
M. Cyprianus Hubault.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS ROBIN, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXI.